
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA
1043
2
DI FIRENZE
NAZ. CENTRALE

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
HYPOCRISI PHILOSOPHORVM QVORVNDAM SPECIATIM PYTHAGORAE

QVAM

DIVINI NVMINIS AVSPICIO

IVSSV ATQVE AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE ALTORFINA

MODERATORE AC PRAESIDE

DOM. IOH. ALBERTO SPISIO

PHILOS. IVRIVMQVE D.

POLITICES LOGICES ET POETICES P. P.

FACVLTATIS PHILOSOPHICAE H. T. TERTIVM

DECANO

PATRONO ATQVE PRAECEPTORE SVO

NVNQVAM NON COLENDO

PRO IMPETRANDIS

PHILOSOPHIAE MAGISTRI PRIVILEGIIS

PVBLICAE COMMILITONVM DISQVISITIONI

D. XXVI IVNII A. O. R. CIↃ IↃ CCXXXXIII

SVBIICIET

WOLFGANGVS FRIDERICVS LOCHNERVS

ARTELSHOFIO-NORIMBERG.

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.





PROOEMIVM.



Agnum apud ueteres pariter et recentiores nomen consecutus est, ille non Italicae modo, sed omnis fere Graecanicae philosophiae, ut quibusdam uidetur, auctor et parens, Pythagoras. Hinc etiam perquam multa de eius uita et philosophia a uariis scriptoribus litteris prodita sunt; et quamuis ipse, ad sectae, cuius caput fuit, consuetudinem, summam doctrinae suae, aliasque rerum suarum circumstantias, nullis libris complexus sit, eruditissimi tamen omnium temporum Viri in excolenda historia Pythagorica maximum sibi facesserunt negotium, et, ne discederet ex posterorum animis tanti Philosophi memoria, omnem nauauerunt operam. Ex ueteribus enim, sed iam deperditis, generatim uitam Pythagorae descripserunt Aristoxenus, Hermippus, Moderatus, Nicomachus, de quibus et quam plurimis aliis conferendus Conr. Rittershusius, ad Malch. n. 1, pag. 5. *et* Ionsius, *in egregio opere de scriptoribus historiae philosophicae. Ex iis uero, quae adhuc supersunt, scriptis, praeter Porphyrium, Iamblichum, et Laertium, notari merentur de Pythagora* Suidas, *sub hac uoce*, Tom. III. p. 231. sqq. *itemque Iustinus*, Lib. XX, Cap. IV. *et alii, quos in tractatione allegare iuuabit: ut recentiores v. g. Stanleium*, in hist. phil. Lib. VIII, *Schefferum*, de natura et constitutione Philos. Italicae, *Clericum*, *in* Biblioth. chois. Tom. X. *ceteros, sicco nunc praeteream pede, qui in illustranda Pythagorica historia multum studii collocarunt, et quorum indicem satis longum exhibet Celeb.* HEVMANNVS, Act. Philos. P. II, V, et XII. *Etsi uero Pythagoras super ceteros in omni doctrinae genere suis temporibus cum maxime florebat, unde etiam auctoritas et amplitudo eius omnes gentes non tantum gloria et fama nominis, sed et summa admiratione compleuit: animaduertimus tamen, si dogmata in conspectum uitae ipsius ponimus,*

 non

non eum talem se praebuisse, ut ex omni parte laude sit afficiendus. Timoni, *apud Laërtium*, Lib. VIII, segm. 36. *hominem callidum et ueteratorem fuisse Pythagoram, ambiguum non est; et laborem omnino non frustraneum suscepit, ante aliquot annos in Academia hac Altorfina Professor celeberrimus, hodie uero eximium Georgiae Augustae decus, Dom.* IOH. DAVID KOELERVS, *quum* ἐχεμυθίαν *Pythagoricam paedantismum redolere solide demonstraret, in dissertatione* de Paedantismo didactico Pythagorae ratione silentii, Altorfii CIↃIↃCCXIV *habita. Omitto nunc alios, partim, nescio quid diuinum, omnibusque numeris absolutum, in Pythagora se inuenisse iactitantes; partim uero cumulum de illius laudibus diruentes, eumque superbiae et inuidiae tantum suae consuluisse, contendentes: et duntaxat circa simulationem uirtutis, quam* hypocrisin *uocant, in Pythagora omnino uituperandam, Deo annuente, hoc in praesenti inaugurali specimine, ex auctoritate* AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI, *quo ingenio, quaue industria possum, quaedam monebo. Quia uero Pythagoras non solus ille est, qui eruditus posset appellari artificio simulationis, nosque facili negotio plures Philosophos, Stoicae praesertim sectae addictos, in medium proferre possumus, qui hoc in genere peccarunt; uisum est, rem omnem duobus capitibus proponere. In priori de Philosophorum quorundam hypocrisi in genere agemus; in posteriori uero hypocrisin Pythagoricam sigillatim paucis delineabimus. Tantam enim prae se ferebat probitatem Pythagoras, ita ductu luminis rationis animum ad exercitationes uirtutum confirmabat, ut multos superaret antiquos et nouos Philosophos, qui temerariis et inconsideratis factis et uerbis sententiisque suam maxime obscurant gloriam. An uero minime fucatus, et uir eximia quadam animi uitaeque integritate, iure sit appellandus, ualde haereo. Hac de caussa, permissu quidem* Viri Excellentiss. DOM. PRAESIDIS, *operam me non perditurum putaui, si hac in re qualescunque periclitarer ingenii mei uires. Faxit DEVS Ter Optimus Terque Maximus, qui fucum uirtutis et inflatae sapientiae summe auersatur, ut hic labor ex uoto fluat.*

CAPVT I
DE QVORVNDAM PHILOSOPHORVM HYPOCRISI IN GENERE.

§. I.

Sic ergo, diuina fauente gratia, ad ipsam nunc accessuris tractationem, ante omnia, quid per hypocrysin, cuius reum facere Pythagoram cum aliis philosophis aggredimur, intelligamus, exponendum erit. Etsi enim id ex praefatione iam pateat, neque alias cuiquam facile obscurum esse queat, cum notio huius uocis tam graecis scriptoribus communis, quam usu loquendi satis obuia sit: haud tamen abs re fuerit, hanc ipsam paulo curatius pro modulo quidem ingenii enucleare, et hypocriseos ideam expressam sistere; eo magis, quod pro diuerso huius uocabuli sensu, hypocrisis non nunquam etiam laudari queat in homine sapiente et philosopho, ceterum uero plerumque censuram atque reprehensionem mereatur. **Cur hypocriseos notio ante omnia euoluatur?**

§. II.

Hypocrisis generatim nihil aliud notat, quam actionem, qua quis se alium exterius, nempe in uerbis, gestibus et factis, exhibet, quam reuera sentit, aut animo affectus est. Siue, quod idem est: est actio, qua efficere studemus, ut alter arbitretur, nos aliquid sentire, quod tamen non sentimus, aut aliter animo affectos esse, quam reuera sumus; paucis: *alienae personae simulatio.* Si quis ergo per uerba et facta efficere studeat, ut alter, se aliquid sentire, arbitre- **Hypocrisis et hypocrita quid in sensu latiori et generali?**

tur, quod tamen non ſentit, per conſequens alium ſe exterius gerat, quam in corde ſentit aut affectus eſt; *hypocritae* nomen illi omnino tribuimus. Speciatim uero, ſcriptoribus ſacris et ſtylo eccleſiaſtico, *hypocriſis* dicitur uitioſa illa ſimulatio, qua quis probitatis ſanctitatisue ſpeciem prae ſe fert, reuera nequitiae et improbitatis plenus; uerbo: *fucata pietas et uirtus.* Et qui hoc uitio laborat, probumque ſe externa ſpecie mentitur, quum improbus ſit, *hypocrita* ſtricto et ſpeciali ſenſu audit.

Itemque ſpeciali.

Hypocriſeos etymologia et homonymia.

Graecis, uti exploratum eſt omnibus, uox *hypocriſis* et *hypocrita* ſuos debent natales, deriuata quippe ἀπὸ τοῦ ὑποκρίνεσθαι, et proprie ſpectant ad hiſtriones, alienam in theatro perſonam repraeſentantes. Qua uocis huius ſignificatione praeter alios etiam utitur Aelianus, *Var. hiſt. Lib. VIII, Cap. VII.* haec ſcribens: ἀφίκοντο δὲ καὶ μουσουργοὶ, καὶ ὑποκριταὶ, οἱ μὲν κωμῳδίας, οἱ δὲ τραγῳδίας παμπολλοι. Quae uerba ita recte eſt interpretatus IVSTVS VVLTEIVS: *Aduenerunt etiam muſici et hiſtriones, tam comici, quam tragici permulti.* Superſedemus plura huius generis loca excitare, quibus nomen ὑποκριτὴς hiſtrionibus olim proprium fuiſſe probemus, ne laterem lauare uideamur: cum et IOH. BENEDICTVS CARPZOVIVS eandem hanc ſignificationem, teſtimoniis ex probatiſſima antiquitate Graeca et Latina, itemque auctoritate criticorum magni nominis, ſatis adſtruxerit, in libro pererudito et elegante *de Paradoxo Stoico Ariſtonis Chii*: ὅμοιον εἶναι τῷ ἀγαθῷ ὑποκριτῇ τὸν σοφὸν, h. e. *Sapientem bono hiſtrioni eſſe ſimilem*; Lipſiae anno ſuperiore edito, *Sect. I, Cap. V.* Immo ipſe Flacius et Auguſtinus, quos tanquam diſſentientes ibidem notat et refutat doctiſſimus ſcriptor, ſaltem locis ab eo allegatis, hanc ſignificationem quoque expreſſe confirmant. Vnde uero hoc nomen traxerint hiſtriones? num a *reſpondendo*, quod ex Heſychio et Suida clarum putat; an uero a *diſcernendo* uel *ſeparando*, quod ex Euſtathio forte colligi queat? et utrum uoces ὑποκριτὴς et ὑπόκρισις, ipſumque adeo uerbum ὑποκρίνεσθαι, a fabulis theatricis demum tranſlata ſint ad ſimulationem ſignificandam, primumque omnium ita oratores Graeci uſurpauerint, contra ullam eorum originationem ac etymologiam; en

uero

uero illa ipsa *simulationis* notio propria et princeps, et inde demum nomen nacti sint histriones; non aeque expeditum uidetur. Nobis nunc non uacat hanc in rem curatius inquirere: posterius tamen adhuc probabilius est. Certe *fingendi imitandique*, si non *simulandi*, uim quodammodo propriam esse uerbo ὑποκρίνεσθαι cum deriuatiuis, uel inde non immerito concludimus, quod, teste Vlpiano, loco a clarissimo auctore citato, etiam poetae, sane ab hac quidem potius, quam a *iudicii* notione, *hypocritae* a ueteribus dicti sunt. Vtcunque est, uoces istae ab optimis, iisque antiquis, scriptoribus Graecis ad hunc aliosque referuntur significatus et usus. Luciano est *coniector somniorum* ὑποκριτὴς ὀνείρων, et ὑποκρίνεσθαι μανίαν *simulare insaniam* significat, *de salt.* Eandem quoque significationem obtinet hoc uerbum apud Demosthenem *pro cor.* μηδὲ τῇ φωνῇ δακρύοντα ὑποκρινόμενος τὴν ἐκείνου τύχην, ἀλλὰ τῇ ψυχῇ συναλγῶν. In *fragmentis Dionysii Longini*, libro περὶ ὕψους, in *editione Heinekeniana* Dresdae 1737 praemissis, *pag. LXVIII*, haec occurrunt uerba: τῇ τῆς ὑποκρίσεως ἀρετῇ ἀείποτε, ubi figuram rhetoricam denotat, Germanice das Nachäffen dicendam. Quare pro instituti nostri ratione, cum Luciano, Demosthene, itemque Hermogene, γλάψαντες γὰρ πάντες ὑποκρίνονται χελιδίζειν dicente, fruimur omnino ea libertate, qua dicimus: uocem ὑποκρίνομαι *simulo*, et ὑποκριτὴν *simulatorem* in genere denotare; et sigillatim, si quis excellentem in uirtute externe se exhibet, re ipsa tamen ueram animi imaginem uultus non exprimit, illum *hypocritae* et uirtutis simulatoris nomine uenire; qui significatus iam obtinebit. Id solum adhuc monemus, *actionem* quidem generis loco positam esse in definitione nostra: quod hypocrisis proprie in agendo consistat, et uel in unica actione locum habere possit. Sicuti uero unam actionem, praesertim prauam, plerumque plures similes sequi solent, et ex repetitis eiusmodi actibus habitus tandem oritur: hic ipse etiam *habitus fingendi atque simulandi* peruersus eadem hypocriseos appellatione comprehendi consueuit.

§. III.

§. III.

Quibus modis committatur hypocrisis?

Hoc igitur modo nos quoque in praesenti utimur *hypocriseos* uocabulo, illudque per *simulationem uirtutis* in genere exponimus. Committitur autem hypocrisis ista, ut iam in definitione dictum, potissimum duplici ratione, nempe in factis et uerbis: quorsum apud philosophos quidem, quorum maxime rationem habemus in hac tractatione, cumprimis etiam pertinent *dogmata*, siue doctrinae eorum ac sententiae, quas palam et aperte professi sunt. Nam et haec non raro ad fucum faciendum, grauissimosque occultandos errores, spectant, aut certe a uera mentis sententia nimium quantum discrepant, ut ex sequentibus infra patebit.

§. IIII.

De uirtutis distinctione in *theologicam* et *philosophicam*.

Nunc de ipsa etiam uirtute, cuius simulatio hypocrisin efficit, uel tria uerba monenda sunt. Virtutem uel esse *christianam* siue *theologicam*, uel *naturalem* seu *philosophicam*, omnibus constat. Quia uero de priori, utpote scopum nostrum non attingente, sermo hic non est instituendus; fine ullis ambagibus statim ad posteriorem pergam.

Dicimus quidem, alias esse uirtutes theologicas, alias philosophicas: non autem cum pontificiis, illarum nomine, *fidem*, *spem* et *charitatem*; harum uero, eas, de quibus in philosophia morali agitur, intelligimus, quem significatum iam reiecit BVDDEVS, in *instit. Theol. mor. P. I, C. I, Sect. IV*, §. 137. Neque etiam, cum Cel. WOLFIO, *Phil. Pract. Vniuers. P. I*, §. 338 *seqq.* discriminis rationem tantum ponimus in *motiuorum diuersitate*, quae sententia ceteroqui facile admitti potest. Sed potius generatim dicimus: Virtutes theologicae seu christianae a philosophicis differunt, tum ratione *principii*: illae enim non nisi ex uera fide, hae ex uiribus naturalibus proficiscuntur; tum ratione *normae*, quae in his quidem sunt leges naturales tantum, in illis uero etiam leges positiuae diuinae, et praecepta christianis in sacris literis tradita et explicata.

§. V.

§. V.

Virtus itaque *philosophica* nihil est aliud, quam habitus, uel, quod non nulli malunt, constans et serium studium, conformandi actiones suas legibus naturalibus, quoad per naturae uires licet. Virtutis philosophicae definitio.

Hoc studium atque habitus iste proprie unicum quidem, et hinc uirtus quoque una tantum est: attamen, pro obiectorum diuersitate, uarioque, quo se exserit, modo, diuersas sortitur denominationes. Atque hoc sensu etiam plures dantur ac uariae uirtutes, de quibus ex instituto praecipiunt philosophiae et theologiae moralis doctores. Vid. e. g. BVDDEVS, loco citato, §. 136. *seqq.* et in *Elem. Philos. Pract. P. I, C. IV*, §. 51 - 68; itemque HEINECCIVS, *Elem. Philos. mor.* §. 217 - 239. add. Cel. WALCHIVS, *Lex. Philos. hac uoce*; et OMEISII *Compend. Ethic., P. I, Sect. II.* Quo sensu plures dentur uirtutes?

§. VI.

Hanc uirtutem nonnulli quidem paganorum, saltem saniorum, exercere uolebant; et negari omnino nequit, eam ad ueram, etsi non perfectam, potuisse referri, si modo uel maxime cum hac uirtute merum spectrum uirtutis plerumque simul non fuisset coniunctum. Ita enim, ut alia exempla nunc taceam, Philosophos quosdam nouimus antiquiores, satis quidem laudabiliter qui uixerunt; sed actionum suarum laudabilium nullum alium fere constituebant finem, quam famam immortalem, propriamque utilitatem et existimationem: non nescii, gloriam cum uirtute coniunctam, omniaque sub potestate et ditione uirtutis esse. Fuerunt autem et alii, qui reuera ne sectabantur quidem uirtutem, sed dictis et factis singularibus tantum, et cumprimis affectata uitae asperitate, opumque et honoris ac uoluptatum contemtu, mentiebantur uerius, quam simulabant; nec ipsi quidem alia de caussa, Eam pagani philosophi plerique alii affectabant, alii subtilius, alii crassius.

 quam

quam ut magnum nomen acquirerent, et longe super alios excellere uiderentur.

Inde hypocritas fuisse probatur.

Vtrique adeo hypocritae dicendi sunt: sed illi quidem *subtiliores*, hi *crassiores*. De posterioribus res manifesta est: sed tamen et priores hoc nomine dignos esse, ex definitionibus (§. II et V.) facile conficitur. Vt enim ille demum uirtute uere praeditus dici potest, qui actiones suas legibus conformare studet serio, et studium illud quauis occasione re ipsa testatur: ita, si quis actiones quidem legibus conformes edit, non tamen ex studio legibus conuenienter uiuendi, sed uel commodi sui et emolumenti caussa, uel laudis studio tantum, aliisue caussis inductus; simulacrum utique uirtutis exhibet, non ipsam uirtutem, adeoque hypocritarum numero non immerito aggregatur.

§. VII.

Hypocriseos philosophicae caussa ambitio.

Fontem ergo et originem uirtutum, quas colebant gentiles inprimis philosophi, in uniuersum melius uix exprimere licet, quam si dicamus, ambitionem, fastum, gloriaeque cupiditatem, et si quid est eiusmodi, impulisse eos ad has uirtutes, uirtutum fucos et colores quas potius nominamus, exercendas.

De caussis et origine hypocriseos generatim.

Specialem hic indicauimus caussam fucatae plerorumque philosophorum gentilium uirtutis. Ad fontem uero et originem hypocriseos generatim quod attinet, illa quidem reperitur α) in diabolo, id quod non obscure sacrae testantur paginae, 2 *Cor. XI*, 14. Mirum ergo non est, eum exemplo suo homines libenter a recta auocare uia, atque ad hanc abducere nequitiam. β) Deinde uero homines ideo alienas frequentius personas mentiuntur, quia putant, ueram uirtutem atque pietatem non in sanctitate cordis siue interna, sed in externa siue operum, consistere: hanc uero doctrinam tam suspectam, imo falsam esse, quia leges non solum externam, sed et internam postulant obedientiam; quam perniciosam, quia hypocritae ex hisce radicibus nascuntur, palam est. γ) Neque minus haec

haec summe noxia et peruersa opinio ingens hypocritarum agmen procreat secumque trahit, quae multorum occupat animos hominum, ut credant, ad prudentiam politicam hypocrisin quasi praecipue pertinere, et ideo omnino esse laudandam. Quo nomine notandus hic est Machiauellus, *de Princip. Cap. XVIII*, ita scribens: *Principi in id incumbendum est, ut pius uideatur, etiamsi non sit.* 2) Multos porro communis decipit φιλαυτία, ex qua hypocrisis etiam fere semper efficitur. Homines enim, ab ea decepti, neminem tam honestum, tamque perfectum esse credunt, ac se ipsos, quamuis ingenio contumaci, amaro felle praediti, et iniustitia sint constricti. 3) Si denique homines illud coelo delapsum, γνῶθι σεαυτόν, probe tenerent, ex cuius neglectu hypocrisis sponte sua nascitur; se non posse insontes esse apud Deum, statim cognoscerent, minusque de se elate et magnifice in posterum sentirent. Qui uero, in se ipsum quasi descendens, non inquirit, an uirtutum actiones ab ipso hucusque sincere fuerint editae atque exercitae; altius ille semper, quam oporteat, se ipsum attollet, ruetque praeceps in hypocriseos turpitudinem.

§. VIII.

Quod Cynici inprimis testantur.

Praecipue uero Philosophos Cynicos huius culpae iure meritoque reos esse faciendos, copia exemplorum docuit, planumque fecit exquisitissimis rationibus, scriptor Gallicus, ESPRIT, in tractatu, *la Fausseté des vertus humaines* inscripto, et in nostrum quoque Germanicum idioma translato, passim, praesertim *P. II, c. 19 -- 23.* qui tanquam Apelles uiuis coloribus depinxit, simulque obscurauit fucum uirtutis, quo actiones suas externas decorare quasique inaurare conabantur, quorum tamen uita minime uirtuti uerae fuit consentanea.

§. VIIII.

Virtutes istae fucatae tamen magni habitae a nonnullis.

Magis itaque, tam huic, quam aliis etiam addicti sectis, uideri boni, quam esse maluerunt, et plures hac uirtutum simu-

ſimulatione, non ſolum ſe ipſos, ſed etiam deceperunt alios: unde Zwinglius Socratem, Eraſmus Ciceronem, et alii Senecam, uel beatorum catalogo inſerere non dubitarunt; et omnino hic conferri meretur Aegidius Strauchius, qui teſtimonia ſatis copioſe collegit, quae adduci a ſcriptoribus ſolent, ut probent, Senecam Chriſtianum fuiſſe, in diſſertat. *de Chriſtianiſmo Senecae* 1668. Ienae habita, ubi uero etiam hanc ſententiam ab auctoribus, quorum probata in adnotandis Eccleſiae rebus fides eſt, refutatam uidere licet.

Praeſertim Stoicorum, quos defendit Gatakerus.

Quinimo eruditione et diligentia praeſtantiſſimus GATAKERVS ab ipſis Stoicis, quos principes hypocritarum inter philoſophos merito dixeris, hypocriſin remouet, ipſorumque doctrinae ueniam impetrare laborat, in *praeloquio ad Antoninum, pag. 14. ſeq.* adeo, ut haec in uerba erumpere non uereatur: *Quin et inter nominis Chriſtiani profeſſores, quod Scriptores quoque ſacros et confeſſos et conqueſtos legimus, comparuere, qui Numinis notitiam, quam dictis iactitabant, factis abdicarent; qui pietatis, cuius laruam gerebant, uim uirtutemque abnuerent; qui gratiam diuinam in laſciuiam uerterent; qui libertatem chriſtianam nequitiae improbitatisque uelamentum facerent; libertatemque aliis pollicerentur, cum in corruptelae ſeruitio agerent ipſi. Nec ex horum tamen moribus de religione Chriſtiana ſententiam ferre, aequum fuerit: quum politiae chriſtianae iſti, nec uiua, nec uera, nedum ſana, aut integra membra iure cenſeantur, ſed* φύματα *potius mera* καὶ ἀποςήματα, *ut cum Marco noſtro loquar, ſiue uomicae et carcinomata, ut de ſuis Auguſtus. etc.* Multa uero contra haec, et acuta diſſerit IAC. BRVCKERVS, in den kurzen Fragen aus der Philoſophiſchen Hiſtorie, *Tom. I. p. 1001. ſqq.*

Qui refellitur.

Cuius opinioni et nos ſubſcribimus, libenter quidem cum eo concedentes, haec, quae a Gatakero ſunt prolata, prorſus ita ſe habere. Interim tamen plura penes Sto-

Stoicos sunt, quae supra iustum modum adsurgunt, et ubi prae nimio rigore illos excedere omnino est existimandum (*). Vnde de Stoicis admodum prudenter Cicero: *Etenim isti ipsi mihi uidentur uestri praeceptores et uirtutis magistri, fines officiorum paulo longius, quam natura uellet, protulisse.* Probe igitur est distinguendum inter principia, quae ultra, quam par est, tendunt, nec actiones componere sinunt ad conformitatem cum saniore doctrina morali; et inter ea, quae mentem non modo corrigunt et emendant, sed etiam media suppeditant naturae illius accommodata, nec postulant, ut mens humana a conditione sua deturbetur, et in statum quendam plane alienum redigatur Et hac quidem in re Christianae religioni laus omnino est tribuenda, eaque omnibus anteponenda philosophorum sectis; unde ipsa quoque confirmatio ueritatis eiusdem resultat, multum habens momenti et auctoritatis etiam diuinae; sique uita et mores a doctrina discrepant, quam Christianus iactat, id ex ipsa hominis uoluntate proficiscitur, in quem solum adeo culpa conferri debet. In seruandis contra Stoicorum praeceptis impossibilitas semper residet: quia, dum e. g. *sapientem sine peccatis esse* uolunt, talem admittunt excessum, ut homo, ui rigidorum suorum praeceptorum, non homo, sed Deus esse deberet: unde, si quis in exercendis eorum praeceptis ad culmen peruenisse, ἐν ὑποκρίσει atque simulatione externae uirtutis acquiescebat. Possent quidem nonnulli aliquantum Stoicis consulere rebus, dum dicunt: quosdam tamen illorum, quod de Antonino et Epicteto liquet, quantum gentili possibile, legibus satis conformiter uixisse, idque probe, quod ad laudabilem uitae rationem pertinebat,

(*) Huc ex instituto pertinet B. Roetenbeccii *Dissertatio de Intemperantia philosophiae Stoicae* 1691. Altorfii habita.

cinebat, obseruasse. Sed VOSSIVS, *de Idolol. Lib. II, Cap. 49. p. 580.* recte monuit, eos non tam ui principiorum suorum id praestitisse uideri, sed potius ex instinctu naturali, et quadam uelut animi bonitate, uitam laudabiliter ab illis actam esse deriuandam. Immo etiamsi concedere uelimus, ut abstinentia ab impuris corporis uoluptatibus eorum principiis omnino sit attribuenda, quodque ui praeceptorum suorum nullas laxauerint habenas affectibus; certum tamen exploratumque est, ea ex malo fluxisse fonte: quia nempe sibi persuadebant, mentes humanas ex diuina mente delibatas ac decerptas, ipsiusque mentis omnia sentientis particulas, atque iterum in essentiam diuinam tandem esse profecturas. Ex quo principio quam maxime periculoso, Atheismus prono alueo fluebat, cum pulcritudine honestatis coniunctus. Atque ex his ea nunc sunt ponderanda, quae proferuntur ab illis, qui cum Stoicis in omnibus faciunt, et, cum Lipsio in *diss. 16. 17. p. 94. sqq.* istos omnino uolunt excusatos esse.

§. X.

Hypocriseos turpitudo.

Turpitudo atque foeditas hypocriseos, cuius indolem et caussas hucusque breuiter exposuimus, facile nunc est cognoscenda, uitiumque hoc odio et animaduersione esse dignum nemo negabit: non solum enim hypocrita fraudem admittit erga proximum, sed etiam sexcenta alia scelera, attingens simul Deum atque laedens, consulto in se suscipit, pluribusque se contaminat uitiis. Per hoc unicum enim facinus accedit ad superbiam, fraudationem, mendacium callidum, arrogantiam inanem, ostentationem, et sic porro. Vnde non abs re scribit Augustinus: *Simulatio pietatis non est pietas, sed duplex iniquitas.* Sed haec, cum nostri instituti non sint, Theologis accuratius discutienda relinquimus.

§. XI.

§. XI.

Nos potius pedem iam promouemus ad uiam, a qua paullulum deflaximus, atque uideamus nunc, quomodo uberrima horum errorum messis conspicua sit etiam in iis gentilibus, qui pro optimis haberi solebant. Lucium Annaeum Senecam, quem cum Lactantio, Stoicum acerrimum, *Lib. I de falsa religione*, *Cap. V*, et *Lib. II*, *Cap. VIII*, omnium Stoicorum acutissimum, uocamus, istis inter alios annumerandum censemus. Non uno enim in loco hypocrisin defendit et commendauit; alicubi quidem obscurius, ut quando in libro *de uita beata*, *C. XVIII*, scripsit: *Haec non pro me loquor: ego enim in alto uitiorum omnium sum: sed pro illo, cui aliquid acti est. Aliter, inquit, loqueris; aliter uiuis. Hoc per malignissima capita, et optimo cuique inimicissima, Platoni obiectum est, obiectum Epicuro, obiectum Zenoni. Omnes enim isti dicebant, non quemadmodum ipsi uiuerent, sed quemadmodum uiuendum esset.* Alibi uero clarius, inprimis *Lib. I, Epist. V*: *Intus omnia dissimilia sint; frons nostra populo conueniat.* Quae uerba saltem in se et cum aliis locis collata hypocritis patrocinari aperte uidentur. Alias enim ex contextu huius epistolae etiam meliorem interpretationem admittunt: cum Seneca paulo ante diserte negarit, ex habitu uili animum humilem esse cognoscendum; siquidem nonnulli per res etiam abiectas plausum sibi excitare student. *Eorum*, inquit, *mos est, qui conspici cupiunt, facere, quae in habitu aut genere uitae sunt notabilia. Asperum cultum, et intonsum caput, et negligentiorem barbam, et indictum argento odium, et cubile humi positum, et quicquid aliud ambitionem peruersa uia sequitur.* Magnus ille dolii habitator, ut a Iuuenale uocatur, *Sat. XIV*, *311*. Diogenes, probe etiam hanc rem pernouit. Quum enim uenisset Olympiam, et Rhodiacos quosdam uideret adolescentes ue-

Seneca hypocrisin defendit.

Damnauit tamen ostentationem uirtutis in habitu externo.

stibus

ſtibus amictos pretioſis magnificisque; cum riſu inquit: τύφος τοῦτό ἐστι. Quum deinde incideret in Lacedaemonios uilibus et ſordidis tunicis, quas exomides uocant, amictos: Ἄλλος (εἶπεν) οὗτος τύφος. Vid. Aelianus, *Lib. IX, Cap. 34*.

§. XII.

Quo in genere Diogenes Cynicus inprimis peccauit.

Sed tamen hoc genus ſuperbiae atque inſolentiae in nullius perſona melius cognoſcere ac deprehendere licet, quam in perſona ipſius Diogenis Cynici. *De ſe ipſo enim dicere ſolitus erat, ſe implere et ferre tragicas execrationes. Nam erronem ſe eſſe, domo et patria carere, mendicum agere, male ueſtiri, et in diem uiuere. Nihilominus tamen*, teſte AELIANO, *Lib. III, C. 29. in his ſibi non minus placebat, quam Alexander in terrarum orbis imperio, quum ſubactis Indis in Babylonem reuerteretur.* Generatim hic conferri meretur Cel. FRID. MENZII diſſertatio: *Faſtus philoſophicus uirtutis colore infucatus in imagine Diogenis Cynici, Lipſ.* 1712. qui huic Cynico, ſupercilium contrahenti, laruam egregie detraxit, animique ſupercilium diligenter in eo animaduertit.

§. XIII.

Item Antiſthenes.

Eiusdem uitii etiam Socrates, Diogenis praeceptorem, et ſectae Cyniacae auctorem Antiſthenem arguebat. Quum enim uideret, Antiſthenem attritam ueſtis partem ſubinde in conſpectum protendere, ſubridens inquit: ὁρῶ σου διὰ τοῦ τρίβωνος τὴν φιλοδοξίαν, referente LAERTIO, *Lib. VI, ſegm. 8. et L. II, ſ. 36.* Paulo aliter haec legas apud AELIANUM *Var. hiſt. Lib. IX, Cap. 35.*

§. XIV.

De dogmatibus Stoicorum a moribus ſaepe diuerſis.

Nunc praecipua Stoicorum dogmata explicanda forent, ſimulque uita quorundam ſecundum ea examinanda, ut pateat, quam parum illa inter ſe ſaepiſſime conſpirauerint. Quia uero non

non uacat ea hic recensere, fuseque eadem exponunt LAERTIVS, in *uita Zenonis*, nec non IVSTVS LIPSIVS, in *Manuductione ad philosophiam Stoicam*, itemque DANIEL HEINSIVS, in *libro de Satyra Horat. circa fin.* utiliterque etiam conferri potest, praeter Gerhardum Ioh. Vossium, *de Philosophorum sectis Cap. XIX*, et Georg. Hornium, in *hist. phil. Lib. III, Cap. XVI.* Iac. Bruckerus, *loc. cit. Tom. I. pag. 991. sqq.* pro temporis ratione etiam unicum saltem huc exemplum transtulisse et commemorasse iuuabit.

§. XV.

Quod probatur exemplo praecepti de amore aliorum, etiam inimicorum:

Inter praecepta Stoicorum moralia non ultimum obtinere locum illud de communi amore omnium hominum, etiam inimicorum, nemini obscurum esse potest, nisi qui harum rerum cognitione destituatur. Luculenter id docet ANTONINVS, τῶν εἰς ἑαυτὸν *Libro VII, §. 31. edit. Gatak.* Φίλησον τὸ ἀνθρώπινον γένος, et *Lib. VI, §. 39.* ubi ita praecipit: οἷς συνείληχας ἀνθρώποις, τούτους φίλει, ἀλλ᾽ ἀληθινῶς. Sigillatim uero de amore erga inimicos haec habet, *Lib. IX, §. 27:* Ὅταν ἄλλος ψέγῃ σε, ἢ μισῇ, ἢ τοιαῦτά τινες ἐκφωνῶσιν, ἔρχου ἐπὶ τὰ ψυχάρια αὐτῶν, δίελθε ἔσω, καὶ ἴδε ποῖοί τινες εἰσίν. ὄψει, ὅτι οὐ δεῖ σε σπᾶσθαι, ἵνα τούτοις τί ποτε περὶ σοῦ δοκῇ. εὐνοεῖν μέν τοι αὐτοῖς δεῖ. φύσει γὰρ φίλοι. Et *Lib. VII, §. 22:* Ἴδιον ἀνθρώπου φιλεῖν καὶ τοὺς πταίοντας. conf. etiam *Lib. II, §. 1. Lib. III, §. 9. Lib. IIII, §. 37. Lib. VI, §. 47. Lib. VII, §. 13. 26. Lib. VIII, §. 8. 26.* et inprimis *Lib. XI, §. 9, 13, 18.* Add. BVDDEVS, in *Analect. Hist. philos. p. 201.* Hactenus bene, etsi ex falsis principiis. Sed quod ad praxin attinet, ad neglectum huius re-

 gulae

gulae, Zenonem ipſum, huius ſectae conditorem, admodum pronum fuiſſe deprehendimus. Zeno enim Epicuri, aequalis ſui, magno flagrauit odio, uitamque eius tanquam uoluptatum uarietate plenam perſtrinxit; immo doctrina ipſius de uoluptate criminationis moleſtiam a Zenone ſuſtinuit, quaſi prohiberet a nimio cibo, potuque ac Venere, abſtinentiam. Eum uero in multis opprimebat innocentem, atque in illius dogmata ideo inuidiam transtulit, ut ſuis ferret praeſidium. Qua in re etiam magiſtri ſui exemplum ſtrenue ſecuti ſunt diſcipuli et ſectatores Zenonis, cum Stoici Epicureis quam maxime ſemper fuerint infenſi. Conf. GASSENDVS, *de uita et moribus Epicuri, Lib. III, Cap. II et ſeqq.* Vbinam eſt illa charitas proximi feruentiſſima?

§. XVI.

Teſtimonia antiquorum de hypocriſi philoſophorum.

Si uero etiam ad teſtimonia antiquorum ſcriptorum progrediamur, ex iis facile nonnulla in rem praeſentem producere poſſumus, unde pateat, in unaquaque ſecta repertos, quorum diuerſa dogmatum et uitae erat ratio. Audiamus primum Cleanthem, qui, teſte LAERTIO, *Lib. VII, ſegm. 173.* ἔλεγε τὺς ἐκ τῦ περιπάτυ ὅμοιόν τι πάσχειν ταῖς λύραις, αἳ καλῶς φθεγξάμεναι αὐτῶν ὐκ ἀκύυσι. *Peripateticis idem accidere dicebat, quod lyris, quae, cum bene ſonant, ſe ipſas tamen non audiunt.* Quod dictum, ſed absque mentione Peripateticorum, etiam refertur ad Diogenem Cynicum, a IO. STOBAEO, *Serm. XXI.* De quo et LAERTIVS, *Lib. VI, ſegm. 64:* Τὺς λέγοντας μὲν τὰ σπυδαῖα, μὴ ποιῦντας δὲ, ἔλεγε μηδὲν διαφέρειν κιθάρας. καὶ γὰρ ταύτην μήτε ἀκύειν, μήτε αἰσθάνεσθαι. i. e. *Qui recta dicerent, nec facerent, eos citharae ſimiles aiebat: hanc enim nihil audire, neque ſentire.* Sic uero et Macedo philoſophus, apud

GELLI-

GELLIVM, *Noct. Attic. Lib. XIII, Cap. VIII.* utitur querelis de hoc peruerso hominum genere, dum grauiter in eos ita inuehitur: *Ego odi homines, ignaua opera, et philosopha sententia. Nihil enim fieri posse indignius, neque intolerantius, quam quod homines ignaui ac desides, operti barba et pallio, mores et emolumenta philosophiae in linguae uerborumque artes conuerterent; et uitia facundissime accusarent, intercutibus ipsi uitiis madentes.* Item *Lib. XVII, Cap. XIX.* mentio fit philosophorum: Ἄνευ τȣ̃ πράττειν, μέχρι τȣ̃ λέγειν, *factis procul, verbis tenus;* ut ab Epicteto uocari solebant. Praesertim uero LVCIANVS, in *uitarum auctione, de sectis, Micyllo, Hermotimo*, alibi, conferendus est, qui Stoicos hoc nomine passim insectatur, et hypocrisin eorum acriter exagitat. Plura hac de re ueterum auctorum loca uid. apud BRVCKERVM, supra §. IX. citatum.

§. XVII.

Langii de Stoicis iudicium.

Ex hactenus dictis iam patet, multos utique, qui magnum suis sectis attulerunt nomen, admisisse aliquid in se hypocriseos. Non solum autem a priscis scriptoribus, hoc in uitio multi tenebantur philosophi; sed etiam ex recentioribus Cel. IOACH. LANGIVS praecipue in Stoicis illud scientissime notauit. Signabimus itaque hanc rem, totumque caput, eius uerbis, in *medicina mentis, P. V, C. I, Per. 3. §. 70. Habuit quidem multa praeclara Stoicorum doctrina; - - sed et multa habuit admodum perniciosa. Namque inter alia naturae uiribus nimium tribuit, tantumque paradoxis suis sapientibus fastum ingenerauit, ut non tantum in foedam hypocrisin, sed etiam ad quendam quasi* ἀυτοθειςμὸν, *prolapsi sint.*

CAPVT II
DE HYPOCRISI PYTHAGORAE SIGILLATIM.

§. I.

Transitio.

PRolixe de Pythagora disputare, cum neque angustia temporis, nec instituti ratio, permittat, neque etiam eius historiam hic repetere necesse sit; summas tantum lineas illius hic ducemus, si prius quaedam circa hanc historiae philosophicae partem monuerimus.

§. II.

Monitum de incertitudine historiae Pythagoricae, eiusque caussis.

Si in tota philosophorum historia caput quoddam incertitudine et obscuritate laborat, certe hoc est de Pythagora. Nec mirum, cum plures huius rei in promtu sint caussae satis idoneae. Primum enim ipsum nomen Pythagorae quodammodo confusionem et turbationem historiae huius sectae adferebat: quia cognomen hoc, quod pro certo nomine collocamus, pluribus fuit commune. Deinde uero, quod in prooemio iam tetigimus, ipse Pythagoras nihil mandauit litteris; certe nullum ab eo ingenii monumentum relictum fuit, quod ab omnibus pro genuino eius foetu haberetur, id quod solide demonstrauit FABRICIVS, *Biblioth. Gr. Lib. II, Cap. XII, §. 4.* contrarium licet defendente LAERTIO, *Lib. VIII, segm. 6.* cui et alii adstipulantur. Vid. *Meibomius, ad hunc locum.* Ex quo defectu unusquisque, quam incerta esse queat historia huius philosophiae, aliqua ex parte capere potest. Si porro his accedit testium hac de re scribentium, recentiorum plerorumque et huic sectae non addictorum, mala fides, qui partim nequiuerunt uera, partim noluerunt scribere; si etiam addimus ipsorum Pythagoreorum adfectatam de suis rebus obscuritatem;

tatem; fidem historicam monumentorum de Pythagora et Pythagorica disciplina ualde labefactari, nemo negabit. Cf. FABRIC. *l. c. §. 1.* Vt res ab ipso Pythagora gestas, eiusque dicta et facta, de quorum integritate mihi fidem euictam nemo praestare ualebit, silentio nunc praeteream. conf. BRVCKERVS, *l. c. P. II. p. 3. 107. sqq.* His nunc praemissis, ab aequis laborum alienorum aestimatoribus ueniam peto, si hac in re a me non satis liquida, aut non omni ex parte ad palatum proposita fuerint, quod equidem in tanta scriptorum uarietate et opinionum multitudine non dubito: certiora tamen promitto, si totam rem certioribus probare potero documentis.

§. III.

De Pythagora hoc cum coniectura probabile est, eum patria, aut certe educatione et origine, fuisse Samium; filium uero fuisse Mnesarchi, est incertum, et annus natiuitatis eius certus res incerta manebit. Sed, cum Cel. FABRICIO, loco allegato, minori cum erroris periculo credimus, eum non ante Olymp. XLIII, 4. et non post Olymp. LII, 4. adeoque DC circiter ante N. C. annis, natum fuisse. Pythagorae ortus et aetas.

§. IIII.

Hic, postquam primum in Graecia usus esset Creophylo, Pherecyde et Thalete Milesio, praeceptoribus, ingenium suum acre, animumque discendi cupidum, applicauit ad philosophiam, et, ut eo felicius hoc succederet studium, exterorum etiam disciplinis animum instruere uoluit: quapropter Phoeniciam et Aegyptum lustrauit, Babylonem et Persarum Magos adiit, multasque alias Barbarorum regiones peragrauit, et magno labore transmisit, animoque sic omni eruditionis genere imbuto, redux Samum concessit. Reliqua, quae Itinera philosophiae studio suscepta.

 huc

huc ſpectant, merito nunc tacemus, breuiſſimis indicantes, ex Samo in Italiam, et eius quidem partem inferiorem, Magnam Graeciam dictam, ſeſe contuliſſe: hinc philoſophia ipſius peperit ſibi nomen philoſophiae Italicae.

§. V.

Virtutes corporis et animi.

Si de Philoſophi noſtri uirtutibus, ratione corporis et animae, ex quarum nomine ſibi auctoritatem quaeſiuit, aliquid dicendum eſt; ſequentia digna ſunt, quae in medium proferam. Iuuenis adhuc forma et dignitate praeditus erat plane ſingulari, et, propter habitum uitae ad conſtantiam et grauitatem compoſitum, omnium ſibi iam tunc conciliabat exiſtimationem. conf. IAMBLICHVS, in *uita Pythagorae*, *p. 7. edit.* KVSTERI, *C. II.* Matura uero aetate, tam apta membrorum compoſitio ipſi adfuiſſe traditur, tanta gaudebat auctoritate, et quaſi maieſtate, ut illum diſcipuli opinarentur Apollinem, qui ex Hyperboreis ueniſſet. Vid. LAERT. *Lib. VIII, ſegm. 11.* et AELIANVS, *Lib. II, Cap. XXVI.* Fugiebat luxuriam, et remotiſſimus erat ab intemperantia: LAERT. *Lib. VIII, ſ. 19.* cf. MEIBOMIVS et MENAGIVS, *ad hunc locum;* atque in uita, neque ulla unquam uoluptate, neque triſtitia affectus uidebatur nimia, ſed ſemper erat idem. PORPHYRIVS, *de uit. Pythag. n. 34.* Vti uero in omnibus rebus, ita praeſertim et hic iuuabit, non temere credere, non cuiuis fidere. Inquiramus ergo, ſine praeiudicio auctoritatis antiquitatisue, an Samius noſter interdum non uideri bonus, quam eſſe, maluerit; et utrum actiones ipſius omni ex parte cum doctrina, quam profitebatur, congruerint; num fortaſſe aſtutam uapido geſſerit ſub pectore uulpem; nec ne? Nihil ergo ſupereſt amplius, quam ut cum Pythagorae placitis et effatis comparemus quasdam ipſius actiones, tam externas, quam internas, ſemperque attendamus, quaenam ſit inter has et praecepta illa ſimilitudo.

§. VI.

§. VI.

Pythagorae hypocrisis probatur: 1) ex neglecto praecepto de uictimis incruentis.

Quantum discipulos suos hoc urgeret mandato : *Ara Deorum sanguine non est adspergenda;* neminem, nisi in hac historiae philosophicae parte plane hospitem ac peregrinum, latere posse existimo ; et de hac regula, quam etiam γνήσιοι Pythagorei solicite obseruasse feruntur , conferri potest IAMBLICHVS, *Cap. XXVIII*, *n. 150.* et LAERTIVS, *Lib. VIII*, *segm. 13 et 22.* itemque MENAGIVS , *ad haec loca.* Quis est uero, cuius cogitationes hac in re uersantur, qui hac occasione non recordetur inuentionem theorematis de potestate hypotenusae in triangulo orthogonio ? quod demonstratur apud Euclidem, *Lib. I. Prop. 47.* Pythagoram enim, huius nobilissimi, et per omnem Mathesin utilissimi, theorematis inuentorem acutumque auctorem, haec inuentio tanta perfundebat laetitia, ut desereret officium, suique ipsius praecepti immemorem sese exhiberet , ac centum boues seu Hecatomben Diis immolaret; prouti rem narrant VITRVVIVS, *Archit. Lib. IX*, *Cap. 2.* et LAERT. *l. c. s. 12.* ubi haec : Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος ὁ λογιστικὸς ἑκατόμβην θῦσαι αὐτὸν , εὑρόντα ὅτι τοῦ ὀρθογωνίου τριγώνου ἡ ὑποτείνουσα πλευρὰ ἴσον δύναται ταῖς περιεχούσαις. καὶ ἔστιν ἐπίγραμμα, οὕτως ἔχον·

Ἡνίκα Πυθαγόρης τὸ περικλεὲς εὕρατο γράμμα,
Κεῖν' ἐφ' ὅτῳ κλεινὴν ἤγαγε βουθυσίην.

Id est: *Refert autem Apollodorus supputator , hecatomben illum immolasse, cum inuenisset, trianguli, quod* ὀρθογώνιον *appellant, subiectum recto angulo latus tantundem ualere, quantum quae illum continerent. Et est epigramma sic se habens :*

Pythagoras quondam diis fecit nobile sacrum,
Inuenta est illi linea quod celebris.

Haec

De quo tamen dubitant nonnulli.

Haec ipsum Ciceronis animum dubium incertumque habent, qui *Lib. III. de Nat. Deor. Cap.* 36. sic scribit : *Quanquam Pythagoras, cum in geometria quiddam noui inuenisset, Musis bouem immolasse dicitur.* Hic loquitur de uno tantum boue. Statim et haec subiicit uerba: *Sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare uoluit, ne aram sanguine aspergeret.* Nemo autem non uidet, dubitationem hanc fuisse ortam ex praeiudicio auctoritatis: id enim Ciceroni iam extra omne dubium positum uidebatur, Pythagoram, grauissimum illum et seuerissimum Philosophum, non alia potuisse docere, alia factis praestare et exprimere; unde alienus esse maluit ab assensione huius rei. Plutarchus quidem, in comment. *ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, p.* 1094. *edit. Francof. T. II. Opp.* atque ipse Malchus in *uita Pythagorae* unum bouem immolatum tradunt; sed hic tamen addit, bouem e farina, non uerum fuisse: quod etiam nonnullis uerisimilius uidetur, optime qui sciunt, Pythagoram improbasse sacrificia cruenta, simul uero non cogitantes, alia interdum potuisse a Pythagora dici, alia fieri. Vid. MEIBOM. *ad locum cit. Laertii*; et STANLEIVS, *hist. Phil. P. VIII*, p. 743. *Accuratius*, inquit, *qui res eius tradiderunt, referente Porphyrio, bouem eum sacrificasse dicunt ex farina confectum; uel, ut relatum Gregorio Nazianzeno, ex argilla.* Laërtii tamen opinionem de centum bobus confirmat etiam Athenaeus, *Lib. X.* qui eadem Apollodori uerba allegat, annexo etiam disticho. Ita uero hic: *Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ ἀριθμητικὸς καὶ θῦσαί φησιν αὐτὸν ἑκατόμβην ἐπὶ τῷ εὑρηκέναι, ὅτι τριγώνου ὀρθογωνίου ἡ τὴν ὀρθὴν γωνίαν ὑποτείνουσα ἴσον δύναται ταῖς περιεχούσαις.* Si penes hunc et antea iam allegatos auctores est fides, hoc certum manebit: Pythagoras, quod docuit, opere non comprobauit.

§. VII.

Probatur II) ex doctrina illius de Deo.

Enimuero Pythagorae hypocrisis multo magis elucescet, si ea consideres, quae in philosophia theoretica de Deo docuit. *Vnus*, inquit, *est Deus, non ille autem, quemadmodum nonnulli sunt suspicati, extra hunc mundi ornatum: sed ipse in se totus, in circulo toto omnes inspiciens generatio-*

nes,

nes. Omnium ipse est temperatio, et uirtutum operumque eius omnium opifex, principium omnium, unum, caeli lumen, et parens omnium, mens et animatio uniuersorum, circulorum omnium motio. Ita ex Iustino STANLEIVS, *loc. cit. p. 763.* Quae quidem Dei notio satis proba esse uidetur, et ostendit, alienum a superstitione et idololatria gentilium fuisse Pythagoram, cum unum tantum Deum agnouerit: minus autem recte de Deo eum sensisse, simul condocet; et iam olim Cicero, *Lib. I. de nat. Deor. Cap. XI*, ita praeclare hac de re ratiocinatus est: *Pythagoras*, ait, *qui censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non uidit, distractione humanorum animorum discerpi et dilacerari Deum; et, cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram: quod fieri non potest. Cur autem quicquam ignoraret animus hominis, si esset Deus?* Imo, si totam rem sollicite et accurate perpendere uelimus, ab atheismi labe non prorsus immunis est Pythagoras: cum Deum pro anima quadam mundi habere, eumque cum materia et mundo indissolubili nexu modoque, uti Zeno, coniungere uideatur; talemque simul Deum inducat, qui lacerari et in partes diuidi queat, quod tamen absurdum est, recte ut Cicero iudicat. Vt iam non dicam, eum, etsi non negasse, attamen infirmasse prouidentiam diuinam: quod omnino suspicionem auget atque confirmat, simul uero istud PAVLI Apostoli, *Rom. I, 22.* Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν, ad Pythagoram quoque spectare, demonstrat.

Minime quidem ignoro, Pythagoram hanc de Deo sententiam in arcanis quasi continuisse, studioseque uelasse, et ex hoc fundamento crimen istud a Pythagora quodammodo posse remoueri. Quia uero haec reliquis eius seruit opinionibus, certe cum systemate Pythagorico

gorico non pugnat; eum ita statuisse, nisi iudicio fallor, probabiliter possumus defendere. conf. BVDDEVS, *Hist. Eccl. V. T. Per. II, sect. VI, p.* 1079.

§. VIII.

3) Ex affectata diuinitate:

Cum adeo a recto de Deo sensu tam grauiter aberrauerit Pythagoras; mirum non est, illum eo dementiae processisse, ut et ipse diuinitatem affectaret, neque aliis hoc nomine adulantibus repugnaret, nouo iterum hypocriseos, eiusque turpissimae, argumento. Id quod ex uestitu, et aliis rationibus, colligere licet. Stola candida apud antiquos maxime sanctitatem indicauit: uid. Porphyr. *de abstinentia Lib. II, §. 45. p. 88.* it. Clemens Alexandr. *Strom. Lib. IV, p. 531.* Propterea Artemidorus, ὀνειροκριτικῶν *Lib. II, Cap. III, p. 83.* ita scribit: λευκὰ δὲ ἱμάτια τοῖς ἱερεῦσι μόνοις συμφέρει. Et colorem album etiam Diis praecipue decorum esse putabant, teste Platone, *de Legibus Lib. XII, p. 691.* χρώματα λευκὰ πρέποντα ἂν θεοῖς εἴη καὶ ἄλλοθι καὶ ἐν ὑφῇ. Quae uerba sic Latine reddidit Cicero, *de LL. Lib. II, Cap. 18: Color albus praecipue decorus Deo est, tum in ceteris, tum maxime in textili.* Eandem ob caussam Dii quoque ipsi ac diui nominati sunt candidi. Ita Virgilius, *Eclog. V, 56. Candidus insuetum miratur limen Olympi:* ubi, Seruio interprete, *candidus* idem est, ac Deus; et apud Iuuenalem, *Satyr. VI, 526. candida Io* nihil aliud denotat, quam Diuam Io. vid. etiam *Statius, Lib. III, 3. 1. seqq.* Hac in re ergo Deorum imitatorem Pythagoram deprehendimus, apud Laërtium *Lib. VIII, §. 19.* cui, *stola semper candida ac munda, stragulisque item candidis e lana, usus esse* dicitur: στολὴ αὐτῷ λευκή, καθαρά, καὶ στρώματα λευκὰ ἐξ ἐρίων. Plura loca ex Iamblicho, Aeliano, aliis, collegit Menagius, *ad hunc Laërtii locum.* At enimuero Samius noster hac stola sua candida nihil aliud significare

α) Vestitu.

ficare uoluit, quam ipsum quidem praestantiorum seminum commixtione natum esse, quam alios mortales, nec pro solo homine habendum. Ita sane de eo loquitur Aelianus, *Lib. IIII*, *Cap. XVII*: Ἐδίδασκε Πυθαγόρας τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι κρειττόνων γεγένηται σπερμάτων, ἢ κατὰ τὴν φύσιν τὴν θνητήν. Pythagoram homines in hanc traducere uoluisse sententiam, docet etiam Suidas, in *Pythag. Tom. III*, *p. 232.* Mentiebatur porro diuinitatem, satis quidem ridicule, ope femoris aurei, quod eum in finem Abaridi, et toti Graeciae in ludis Olympiacis, ostendebat. De quo Laertius, *Lib. VIII, segm. 11.* Λέγεται δὲ αὐτοῦ ποτὲ παραγυμνωθέντος, τὸν μηρὸν ὀφθῆναι χρυσοῦν. i. e. *Nudatum aliquando eius femur aureum apparuisse, fama est.* Et Aelianus, loco citato, itemque *Lib. II*, *Cap. XXVI*, scribit: τῶν μηρῶν ὁ Πυθαγόρας παρέδειξε τὸν ἕτερον χρυσοῦν. *Pythagoras alterum femur aureum ostendit.* Conferri etiam potest Ammianus Marcellinus, *Rer. Gest. Lib. XXI*, *Cap. XVI*; Plutarchus, in *Numa*, *Tom. I*, *p. 65.* Iamblichus, *Cap. XIX*, *n. 92.* et *Cap. XXVIII*, *n. 135 et 140.* Porphyrius, *num. 28.* aliique a Menagio laudati, *ad Laërt. l. c.* Denique et hoc modo diuinitatem affectabat, dum singularem prae se ferret grauitatem ac ueluti maiestatem, ita, ut sermone et uultu illius omnes facile percellerentur. conf. Plutarchus, *de discrim. adulat. et amici*, *Tom. II*, *p. 70.* Addantur uersus Timonis apud Laërtium, *l. c. segm. 36.* et Porphyrius, *n. 34.* Vt miracula, quae ipsi tribuuntur, u. g. confabulationes cum brutis, quin et fluuiis, aliaque sublestae fidei eiusdem rei documenta et specimina, nunc taceam. Omnia haec, quae hactenus diximus, si recte coniunguntur in comparatione; facillime unusquisque poterit intelligere, Pythagoram non solum ad hypocritas, sed etiam ad fraudatores, iure et merito posse referri. conf. BRVCKERVS, loc. cit. *Tom. II. p. 62. 66.*

β) Femore aureo.

γ) Grauitate singulari aliisque modis.

D 2 Finem

Quousque finem hunc obtinuerit?

Finem tamen, quem intendit, satis feliciter adsecutus est Pythagoras: ipse enim, tam apud discipulos suos, quam apud alios, numen quasi et uim Deorum tenebat. Sane Iamblichus, *Cap. X*, affirmat, neminem illum suo nomine, sed θεῖον omnes uocasse. Et quod ad discipulos attinet, isti, cum accedebant ad aram iurandi caussa, per eum iurabant; idemque Iamblichus, *Cap. XXVIII*, *n.* 150. formulam iurisiurandi uersibus scriptam refert sequentibus:

Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρας σοφίας εὑρόντα τετρακτὺν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως ῥίζωμα τ' ἔχουσαν.

Quos eosdem uersus, paucis mutatis, etiam citat Plutarchus, *Lib. I de placitis philos. Cap. III.* Add. Stanleius, *hist. phil. p.* 706. Alios uero quoque ipsi tribuisse diuinitatem, cognoscimus ex his, quae legimus apud Iamblichum, *Cap. III*, *n.* 14. Quum enim ueniret ex monte Carmele, nauemque conscenderet Aegyptiacam; in animis nautarum tantam sui peperit admirationem, ut semper traherentur opinione, Deum quendam ex Syria in Aegyptum cum eis se nauigio commisisse: propterea, feliciter confecto itinere, tradentes se in portum, et egressi e naui, coram eo statuerunt aram, eique ex omni genere mercis, quam uehebant, primitias quasi libarunt. Quid? quod, uti Irenaeus, *adv. haeres. Lib. I, Cap. XXIIII*, testatur, apud Carpocratianos CHRISTI Seruatoris, Platonis, atque Pythagorae imagines una colebantur eademque religione.

§. IX.

4) ex uetito et dissimulato fastu, quem tamen prodidit:

Vnum adhuc argumentum, pro hypocrisi Pythagorae, praeceptum illud, ex philosophia practica desumtum, suppeditat, quo docebat, ambitionem, fastum, superbiam, tanquam summam amentiam, unicuique esse uitanda. conf. Stanleius, *p. 754.* et OMEISIVS, in *Ethica Pythag. p. 45. 47.* Quibus uitiis etiam in discipulis suis reprimendis, satis uehementes seuerasque obuiam dedit δοκιμασίας et exercitationes vid. Iamblichus, *cap. XVII*, *n. 72.* et Athenaeus, *Lib. IV. p. 161.* ubi legimus, discipulos eius ueste sordida et uili tectos saepius incedere debuisse, ac praeterea ab aliis per integrum triennium contemtim fuisse habitos. At enimuero in ipso Pytha-

Pythagora moderatio illa diuina ualde claudicat, scelereque superbiae nimis uexatur; cum Aelianus, *Lib. XII, Cap. XXXII*, sequentia de eo referat: Πυθαγόρας ὁ Σάμιος λευκὴν ἐσθῆτα ἤσθητο, καὶ ἐφόρει ςέφανον χρυσοῦν, καὶ ἀναξυρίδας. i. e. *Pythagoras Samius alba ueste amiciebatur, et gestabat coronam auream, atque anaxyrides.* Ad quae uerba Schefferus haec notat: *Credo, ut esset conspectior ac uenerabilior, quia sacrificantium hic habitus apud Graecos. - - - Volebat autem omnia sua sancta ac prope diuina haberi.* Cur uero etiam ante omnia stabilisset suum illud arrogantissimum αὐτὸς ἔφα, nisi ut auctoritatem inconcussam sibi inter suos in tempore compararet? Cicero, *Libr. I de Natura Deor. Cap. V*, illud iam improbauit, et intolerabilem fastum, quem prae se fert, his indicauit uerbis: *Obest plerumque iis, qui discere uolunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desinunt enim suum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum uident. Nec uero probare soleo id, quod de Pythagoricis accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos:* Ipse dixit; *Ipse autem, erat Pythagoras. Tantum opinio praeiudicata poterat, ut etiam sine ratione ualeret auctoritas.* Ad. Valerius Max. *Lib. VIII, C. VI.*

α) Habitu.

β) Auctoritate inter suos nimia.

§. X.

Si omnes fines, quos in singulis fere actionibus suis intendebat, ad libram rationis reuocamus, amplitudinem nominis sibi constituebant terminum. Quid mirum ergo, si etiam eo fine discederet ex patria, committeretque se itineribus laboris et periculi plenis? Cognoscimus enim ex Iamblicho, *Cap. V, n. 25.* eum omnia loca Deo dicata, cunctaque idola et oracula celebriora, uisitasse, ad auctoritatem suam stabiliendam, gloriamque longe lateque propagandam. Perrexit ad insulam Cycladum clarissimam, Delon, et inde

γ) Peregrinationibus multis ad loca sacra.

Delphos, ubi postea multa praeclara se didicisse iactauit a flaminia Apollinis. Non solum igitur sibi ipsi, sed etiam suae doctrinae, auctoritatem conciliare uolebat, dum, ex nutu quodam et afflatu diuino eam proficisci, hominibus persuadebat, ueterum legislatorum more. Conf. KOELERI Differt. in prooemio laudata, §. X. Ad Cretenses etiam peruenit, teste Laërtio, *Lib. VIII, s. 3.* ubi cum Epimenide descendit in Idaeum antrum famosissimum; tandemque Phliuntem. Ibi, postquam cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose quaedam disseruit, non sine admiratione eius ingenii et eloquentiae; quo cognomine censeretur, rogatus, tunc Philosophum se primus nouo nomine uocauit, cum ante eum σοφοὶ seu *sapientes* et haberentur, et nominarentur, qui, ut ille, in rerum contemplatione studia ponerent. Quod ipsum quoque ex ambitione potius, quam ex modestia, uti quidam putant atque ipse uideri uoluit Pythagoras, factum fuisse, probabile est. Ceterum discrimen inter sapientiam et philosophiam explicat Iamblichus, *Cap. XII, n. 59. et Cap. XXIX, n. 159;* generatim uero hac de re conferri possunt Laert. *Lib. I, s. 12. et Lib. VIII, s. 8.* Cicero, *Qu. Tusc. Lib. V, Cap. III;* Iamblichus, *C. VIII, n. 44, et Cap. XII, n. 58.* Val. Max. *Lib. VIII, C. VII.* aliique citati a Menagio, *ad Laert. ll. cc.* et Scheffero, *de nat. et const. philos. Ital. C. VI.* Non attingo alia, in quibus Pythagoras superbiae aliquando indulsisse deprehenditur.

4) Inuento Philosophi nomine.

§. XI.

5) ex neglectu praecepti de uetita αὐτοχειρίας.

Restat aliud, idque oppido uituperabile, Pythagorae factum, demonstrans, illum ad extremum usque halitum hypocritam mansisse, neque solum, quod hactenus ostensum, in multis uitae partibus, sed etiam in ipsa morte, a praeceptis suis recessisse. Hoc coronidis loco proponimus, cum monito tamen huic capiti iam praemisso. Inter alias, ad philosophiam

phiam practicam Pythagorae ſpectantes regulas, haec quoque occurrit praecipue memoranda: *Iniuſſu Imperatoris, id eſt Dei, de praeſidio et ſtatione uitae non eſt decedendum.* Vid. Iamblichus, *Protrept. Cap. 31.* et Cicero, *de Seneſt. Cap. XX.* it. STANLEIVS, *P. VIII, p. 754.* Violentas itaque ſibi ipſi manus afferre his uerbis uetabat. Conf. OMEISIVS, in *Ethica Pythag. pag. 30.* Sed diſcrepantiam doctrinae et praxeos etiam hic inueniemus, ſi euoluamus Laertium, *Lib. VIII, ſegm. 40.* ubi haec de Pythagora narrantur: Ἡρακλείδης δὲ φησὶν ἐν τῇ τῶν Σατύρου βίων ἐπιτομῇ, μετὰ τὸ θάψαι Φερεκύδην ἐν Δήλῳ, ἐπανελθεῖν εἰς Ἰταλίαν, καὶ πανδαισίαν εὑρόντα Μύλωνος τοῦ Κροτωνιάτου εἰς Μεταπόντιον ἐξελθεῖν, κἀκεῖ τὸν βίον καταστρέψαι ἀσιτίᾳ, μὴ βουλόμενον περαιτέρω ζῆν. i. e. *Heraclides in Epitome uitarum Satyri ait, illum, poſtquam in Delo Pherecydi iuſta perſoluerat, rediiſſe in Italiam, et, cum in domo Milonis Crotoniatae conuiuii celebritatem offendiſſet, Metapontum diſceſſiſſe, ibique, cum uiuere diutius nollet, inedia uitam finiuiſſe.* Nihil attinet cumulare uarias ueterum ſcriptorum de morte Pythagorae relationes, quorum multi ab hac Heraclidis ſententia diſcrepant; et de quibus etiam uideri poſſunt Stanleius, *l. c. p. 688 ſeqq.* et BRVCKERVS, *T. II, p. 73 ſeqq.* Sed haec tantum adduxiſſe ſufficiat, quae omnes fere auctores, ſine diſcrimine et diſſenſu, hac de re nobis exhibent. Nempe modus Pythagorae tam docendi, quam uiuendi, ſingularis, quem cum diſcipulis ſuis etiam in rebus ad rempublicam ſpectantibus exercere et introducere uolebat, uariaeque aliae cauſſae, trahebant eum tandem in inuidiam incolarum Graeciae magnae; ac praeſertim Crotonienſes et Metapontini tantum in eum conceperunt odium, ut relinquerent eius cauſſam, partesque ipſius oppugnarent; qua de re ſatis

prolixe

prolixe ex Apollonio egit Iamblichus, *Cap. XXXV*, *n. 254.* Quae cum ita sint, non adeo improbabile est, Pythagoram, hominem *ethnicum*, uitae taedio, cum imminutam uideret auctoritatem suam, nec facile restituendam, uiolentas manus sibi ipsi intulisse, et, sicut isti, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ, nullam spem habentes et Dei expertes in mundo, secundum illud Apostoli, *ad Ephes. II, 12.* desperasse.

§. XII.

Epilogus.

Non iniucundum quidem foret, nunc etiam sigillatim ostendere, in quantum hypocrisis in Philosopho sit uituperabilis, in quantum tolerari aut excusari possit; itemque ueritates quasdam, hac cum materia connexas, ponderare, quales sunt: *Quid de uirtutibus Ethnicorum sentiendum? Summam sapientiam nihil prodesse, si uoluntatem non corrigit. Apud uerum Philosophum uitam debere cum ipsius dogmatibus conuenire. etc.* Verum, argumenti copia obrutus, et temporis angustia exclusus, pedem hic figo, manumque de tabula moueo; ad extremum Lectorem Beneuolum etiam atque etiam rogans, ut hunc qualemcunque laborem pro candore suo iudicet, melioraque, si DEVS uires auxerit, expectet.

